DE FOEDERE

RELIGIONIS NATURALIS

CUM RELIGIONE DIVINITUS TRADITA

PROPOSITIONES

SUB AUSPICIIS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

CAROLI LEVIZANI

Totius Cisterciensis Ordinis Protectoris

VINDICANDAE

AB JOANNE BORGIANI

MONACHO CISTERCIENSI

ET IN COLLEGIO S. MARIÆ IN CARINIS

THEOLOGIAE AUDITORE

ROMÆ MDCCXCII.

EX TYPOGRAPHIA SALOMONIANA

SUPERIORUM FACULTATE

Eme Romanae Eccleſiae Princeps

Quam noſtra haec Ciſtercienſis Provincia ſi non demerendi Tui, Eminentissime Pater, facultatem, at certe memoris erga Te, gratique animi teſtificandi copiam, ſibi dari aliquando vehe-

Google

menter optabat ; hanc singulari quodam munere humanitatis Tuae mihi nunc oblatam ita sum cupide amplexus, ut mihi non poturim temperare, quin meas has Philosophiae Propositiones, etsi ipsas per se quidem tanto Mecoenate non satis dignas, et meo ipsius, et Provinciae totius nomine Tibi offerrem, quas sub faustis amplissimi nominis Tui auspiciis publice propugnarem. Ac ne ipse illud de Tua omnibus plane perspecta, ac celebrata modestia vererer, ne hac sedulitatis meae significatione Tibi essem gravis potius, quam gratus, Tua erga nostram Provinciam, quam una cum toto Ordine Cisterciensi sub fidem, ac tutelam Tuam sis dignatus suscipere, caeteroquin ab omni hujusmodi laudis specie alienissimus, eximia quaedam bonitas, vel beneficentia potius efficiebat ; cum ex hoc potissimum meo erga Te talem, tantumque Patronum officio non minima ad nos esset perventu-

Digitized by Google

ra existimatio. Erit enim apud omnes nobis honori maximo, cum publice illud constabit, Cisterciensem hanc familiam non indignam fuisse habitam, quam in fidem suam reciperet ille Purpuratus PATER LEVIZANIUS, qui non modo gloriam Patrui Sui itidem Purpurati Patris in Sacro Collegio amplissimam adaequarit, sed ipse muneribus publice gerendis, et Praefecti annonae, qua in provincia per se difficillima supra fidem omnibus se charissimum exhibebat, et Urbinatis Praesidis, quo in Magistratu se vigilantissimum juxta, atque aequissimum ostendebat, et Praefecti Aquarum, qua in procuratione nunc cum omnium laude versatur; singularem sit omnium consensu, ac praedicatione famam, ac celebritatem assequutus. Sed jam ipse in Tuas ingressus laudes, ex quibus nobis splendorem quemdam derivarem, me idcirco pene invitus revocabo, ne cum erga te velim omnibus vi-

deri gratus, re ipsa Tibi ingratus, aut certe importune sedulus, ac prope molestus videar. Quare ad rem ipsam regressus, Te paucis mihi velim demisissime rogatum, ut me in Arenam philosophorum publice descendentem Tuo et patrocinio tueri velis, et auspiciis bene me sperare patiaris.

Digitized by Google

DE FOEDERE RELIGIONIS NATURALIS

CUM

RELIGIONE DIVINITUS TRADITA.

Religionis utriusqne materies, quam tractet, et in qua versari debet ingenuus quisque verae religionis investigator, quem philosophia in animi sui cognoscenda natura et spirituali, et libera, et immortali erudiverit; est Deus ipse. Et primum certe ejusdem existentia; tum providentia illius; post legislatio hominum animis dicta; postremo futura humanorum officiorum remuneratio. Quibus dilucide, ac solide examinatis, ei denique et mentis suae brevitas, ac imbecillitas, et supernae item cujusdam revelationis necessitas patebit. Quam quidem revelationem optimum humani generis Satorem, et Patrem nobis per Filium suum Jesum Christum benignissime tradidisse ipse per se intelliget, modo ad illustres, divinosque Christianae religionis Characteres animum intenderit. Cujus quidem examinis quasi indicem, quae sequuntur, propositiones exhibebunt.

PROPOSITIONES

De existentia Dei.

I. Hujus adspectabilis Mundi, in quo increduli Sophistae partem quidem suam, sed postremam temere agunt, est Faber aliquis, et Architectus.

2. Hunc vero esse oportet ab ipsa hujus magnae fabricae materia segregatum, et sejunctum.

3. Eundem mente simul praeditum ea, qua ingens tantae, tamque speciosae, tantoque ordine distinctae Machinae exemplar, et archetypon complecteretur.

4. Ille opifex rerum omnium Deus nec universa est Mundi materia ipsa per se bruta, et coeca, nec una aliqua pars omnino materiae: quin etiam nulla mens creata esse possit, nedum mens sit alicujus hominis: est enim haec ita infirmae virtutis, ut ne Mundi quidem jam facti omnes simul partes assequi valeat. Heic errores refellemus cum veterum philosophorum, tum Maupertuisii potissimum, Buffonii, Dalembertii, Scriptorum *Litterarum Persicarum*, *Cogitationum philosophicarum*, aliorum.

5. Nonnisi delirantis est hominis, aut somniantis philosophi, sibi mentem Mundi creatricem vel in Nihilo, vel in Casu fortuito, puro, putoque nihilo, comminisci.

6. Ea autem esse debet Mentis conditricis natura, ut sit ipsa per se; id est ut neque ipsa sui fuerit causa, neque causa alia illius potuerit esse causa: ut omnino sit oportet et necessaria: et aeterna, et infinita, omnibusque sine ullo limite perfectionibus cumulata.

7. Quae cum sit hujusmodi, eadem et simplex, et immutabilis, et incorporea necessario fuerit: quam equidem supremam Mentem, et Naturam probato cunctis vocabulo Deum nomino.

8. Mundus contra totus, Mundi universa materia, nobiliores Mundi naturae conditae, etiam quae compotes sint rationis, sunt et terminis quaeque suis finitae, et vicissitudini obnoxiae, ut rerum universitas, nulla necessitate naturae suae ad existendum

determinata, sit omnino et finita, et temporaria, et labilis dicenda.

9. Plane ii cum ratione insanire velle videntur, si qui virium, nescio quarum additione arbitrarià fortuitam, vel precariam per se materiae existentiam optent sibi necessariam, et absolutam.

10. Nihil eorum ampullas plusquam poeticas moramur, qui per sesquipedalia verborum monstra, per *infinitatem corpusculorum*, per *spontaneitatem elementorum*, per *virtutes vitales*, per *vires plasticas*, per *dynames Architectonicas* nobis e cerebro phantastico rerum naturam parturiunt.

11. In his nihil erat profecto sani, nihil veri, cur una substantiae definitionis ambiguitate, qua tamquam norma sua regeret sophismata, tantas excitaret turbas Spinosa.

12. Quasi vero parum fuisset, Spinosam sophistica verborum ambiguitate, ac rationis luce fuisse abusum; Tolandus, et Poiretus servum Spinosae pecus abusum impium revelationis adiecere.

13. Hujus non certae bonae caušae pejorem se exhibet Patronum Joannes Kuffelerus: notandique sunt nimia erga Hebraeum pietate et Deslandesius, et Boulainvilliersius.

14. Pugnantia loquitur, qui alteram divinae parem Naturam inducit possibilem.

15. Dei unius existentiam produnt Ethnicorum quorumdam scripta, quae si ex aequo, et bono consuluisset Baylus, eosdem Polytheismi nunquam accusasset.

16. Non solum physicae, ut aiunt, rationes, sed metaphysicae etiam divinae illi, atque uni Naturae Mundi Creationem vindicant.

17. Ejusmodi vindicias vetustissimarum non se-

ctus, ac praesentium ubique nationum sensus tanto firmat pondere, ut de ea veritate vel dubitare sit hominis ratione minime utentis sua. Et tamen hunc totius humani generis consensum pro nihilo ducit, qui librum edidit *de la philosophie de bon-sens*.

18. Quo Deus tempore condiderit Mundum, non ab inani ingenii conatu, sed ab historia rerum gestarum magistra petere Buffonus debuisset; eoque potius convertere ingenii acumen, quo fabulosas Aegypti, et Sinarum Epochas evolvere posset, ut ejus quoque suffragio hac in re uteremur, sicuti ejus calculis dispellimus nebulones illos, qui cum non satis assequuntur, qua ratione et nigri, et albi homines ab uno omnes Adam sint, Mosaycam genesim vituperant, ut videantur sapere.

DE PROVIDENTIA DEI.

1 Rerum Universitatis moderatio nihil neque laboris, neque sollicitudinis immenso, et Omnipotenti Deo afferre potest, ut non nisi impie, et fatue enerves Epicurei, ad vocem, atque speciem laboris exterreri soliti, feriatum eum ab omni procuratione naturae velint: quin etiam ea est et Dei natura, et divini hujus operis conditio, ut cum opus continua Dei ope indigeat, ut conservetur, tum Dei bonitas, et Sapientia, et gloria postulent, ut nulla ne minima quidem illius pars a suo fine invita deflectat.

2. Et vero divinam, et perpetuam Numinis providentiam tam singulae mundi per se partes, quam universae simul in unum collatae apertissime produnt.

3. Horridam nos plane, neque vitalem vitam du-

ceremus, nisi et ignis electrici immanem copiam, et vastissimi, ac furentis Oceani fines, et invictam ventorum vim, et terraemotus, et fulmina, et pluvias, et quidquid vitae humanae malum minitetur, e tanti Patris nutu pendere pro certo haberemus.

4. Et ordo certus, ratusque, quem in Cœlis, in Anni temporibus, ut in rebus, naturisque omnibus hujusce globi vigentem perpetuo conspicimus; et amicitiae leges, quas naturae inter se maxime contrariae sanctissime servare intuemur, manum Sapientissimi, ac praepotentis Provisoris ubique extentam ipsa per se nobis quasi digito demonstrant.

5. Quae heic singulis quibusque Animantibus apte atque concinne respondent ad pastum, ad actionem, et vitam educendam, ac tutandam subsidia, invictissime divinam providentiae Aeconomiam confirmant.

6. Ad intermundia ablegemus et novos, et veteres Epicuri greges; interris enim, nisi plane velint desipere videant, mentem illam rerum omnium creatricem Animantium ὁρμὰς et impetus, et vires regere; quod instinctu dicimus gubernari.

7. Plumbei in physicis sunt, si qui ex istis malis physicis colligant nullam esse Numinis providentiam.

8. Homini maxime, quasi conspicui sui Operis Principi consultum voluit Deus, quem spirituali anima ornavit, libera, immortali, aeternaque felicitate, nisi per ipsam steterit, beanda. Tam eximia beneficientissimae providentiae monumenta obliterari non sinimus contortis malitiosae calumniae argumentis, quae vel ex impiorum prosperitate brevi potius, quam solida; vel ex bonorum non diuturna, nec omnigena calamitate; vel denique ex malis, quae

vocant, moralibus pretiosissimae libertatis abusu invectis desumunt Baylus, Auctor pessimi libri *de la Nature*, Maupertuisius, Jacopus Pinetonus, Triglandus, aliiqne.

9. Duo Manichæorum principia velle in scenam philosophicam reducere, nihil est aliud quam actum mala fide agere.

10. Ex veteribus sive Poetis, sive Philosophis, sive historicis Scriptoribus, ut qui plerique omnes Dei providentiam assiduo inculcant, communem fuisse eruimus humani generis sensum in cognoscenda Dei providentia consentientis.

DE DIVINA NATURAE LEGISLATIONE.

1. EXhibet providentissimus Deus hominibus et veri, et justi regulam, cui si suas ipsi actiones conforment, eæ et rectæ, et bonæ, et honestae suapte natura sunt. Hanc veritatem evertere studuit Montaigne impiorum omnium pater eo argumento, quod parturienti monti, ut est in fabulis, aequiparari potest.

2. Magnam fenestram ad jus Naturae tollendum aperiunt Buffendorfius, Coccejus, aliique, qui actionum humanarum nullam, nisi e libero Legislatoris jussu ortam turpitudinem, nullam naturalem inhonestatem agnoscunt.

3. Necessaria hominibus fuit lex naturalis, sive hominem considerent Hobbesius, Macchiavellus, et Montesquieu in phantastico anarchiae naturalis, solutaeve libertatis statu, sive in civili societate constitutum.

4. Vitio vertendum est Buffendorfio, Heinnecio, et Hobbesio, quod cum jure Gentium legem con-

fundant naturalem: quae duo inter se et fine, et objecto discrepant, et causis, et proprietatibus.

5. Lex naturalis adeo certum, et proprium praesefert parendi debitum, ut ea, semel per fictam hypothesim exclusa, nullam civiles leges habeant vim hominum voluntates obstringendi.

6. Praecipua quaedam homini praescribit lex Naturae officia, quorum alia Deum, alia hominem ipsum, alia ceteros homines tangunt.

7. Panico quodam timore actus videtur Rousseauvius, qui in Emilio prohibet, sermones de Deo cum pueris haberi; veritus, ne contra Idololatrae, aut Anthropomorphitae evadant.

8. Quisquis et suam a Creatore, et conservatore Deo necessitudinem intimam, sive mavis dependentiam, et Creationis finem Dei ipsius gloriam cogitet, jure diris devovendum censeat mortalium ingratissimum Fleischerium, aliosque ejusdem furfuris homines, qui omnem Dei cultum et internum, et externum vellent ademptum.

9. Rousseauvii, Mandevillis, et Telliamedi homines, non homines sunt, sed sui ipsorum ingenii metamorphoses, quas si novisset Ovidius, suas ipse delevisset.

10. Tales finxit Deus homines, qui et Sapientia, et sanctitate aliquam, dum viverent, Creatoris sui similitudinem referrent; eosque inter se tanta caritate conjunxit, ut homines hominum causa esse genitos vere diceret Cicero. Hujus benevolentiae, et societatis sensus, et quasi igniculos a benevola natura hominibus datos extinguere conati sunt duo litterariae Reipublicae dira monstra Hobbesius, et Rousseauvius,

11. Neque cupiditatum refraenatio est naturali le-

gi contraria, neque corporis verberatus illum paric effectum, cujus Boileaus, Enricus Meibomus, etTommasius Bartulinus illum accusant.

12. Caput inter, et membra cujuslibet Societatis non illud intercedit putum, et merum pactum, et conventum, quod Lokius, quod Rousseauvius, quod Beccaria, quod ceteri liberrime effingunt, sed legitimae potestati et jus est a lege naturae, et ei parendum est ex ejusdem praescripto.

DE DIVINA REMUNERATIONE.

1. LEX naturae non suam heic, et perfectam obtinet sanctionem; sed est in futura, et aeterna societate reservata remuneratio.

2. Semet a coelesti Beatitudine excludunt Auctores *Litterarum Persicarum*, *et Religionis essentialis*, qui illius veritatem denegare sunt ausi.

3. Aeterna est scelerati punitio, sicuti futura est aeterna hominis officiosi, et probi Beatitudo.

4. Hujusmodi legis sanctio nec Dei bonitati, ut Baylus, nec ceteris Dei perfectionibus, ut scribit Tilotosonus, est contraria, neque justae proportionis fines excedit, quod Burnetus nequicquam blaterat.

5. Pristina corporis reparatio, et mortuorum resurrectio, quo demum cumque modo fiet, nihil habet contradictionis, ut nequeat possibilis luce naturae demonstrari.

6. Bonneti germen (Chaldaicum animae οχημα (vehiculum) merito est ab Alfonso Muzzarellio censoria virgula flagellatum, ne contra catholicum de resurrectione carnis dogma succresceret.

APPENDIX

De Religione divinitus tradita.

1. UTI Remuneratoris Dei optimi Providentiae consentanea, ita hominibus maxime necessaria fuerat testificatio, sive revelatio dogmatum, ac mysteriorum Christianorum.

2. Tanta fuit humanae mentis ignorantia tam in malum prona voluntas, ut humanae naturae certam satis, ac potentem ipsa per se medicinam nec fecerit, nec facere potuerit philosophia; contra quam impie comminiscuntur Tindalus, Collinsius, Wolstonus, Helvetius, Rousseauvius, et delirantis libertatis oraculum Voltairus.

3. Una Christi Religio divinam panaceam secum attulit; quae una interioris gratiae vi lapsos erigere valet mortales.

4. Hujus Religionis veritatem non solum Prophetiae ostendunt, miracula firmant, innumeri Martyres testificantur; sed, quod caput est, sensus ipse, atque experientia divinioris cujusdam Sapientiae, mortali naturae ceteroquin imperviae, nova luce assiduo demonstrat.

FINIS.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

F. X. Passari Archiep. Lariss.,

IMPRIMATUR

Fr. Thom. Maria Mamachius Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Mag.